



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Aliis literis Leontius Hilario gratulatus est pontificatum, simulque postulavit confirmationem privilegiorum Ecclesiæ Arelatensis. Ex verbis ejus colligitur privilegia quæ tribuebantur Episcopo, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

farum iudicium, sicutamen ut maiores causa ad apostolicam sedem referenda essent. Quod statutum est ad exemplum auctoritatis Episcopi Thessalonicensis.

IX. De formatis literis Episcopo peregrino profecturo tribuendis à Metropolitanano. Et si iste dare noluerit, liceat Episcopo illi causam suam deferre ad examen Episcopi Arelatensis.

X. Occasione temeritatis Mamerti Viennensis Episcopi, qui Diebus inuitis Episcopum ordinaverat in contemptum Leontij, jubet Hilarus ut singulis annis Concilium generale celebretur, & in proximo causa ista discutatur. Quod factum est. Referuntur provincia qua conveniebant ad synodos Episcopi Arelatensis.

XI. Referitur controversia de Ecclesiis civitatis Cemelensis & Castri Nicensis. Explicatur locus Hilari, qui ait Ingenium Episcopum Ebredunensem Metropolitanum semper honore subnixum fuisse. Unde collegunt viri docti non jure egisse Hilarium Arelatensem, qui Armentarium è cathedra Ebredunensi deturbavit ea etiam de causa quod absque auctoritate ejus se ordinari consenserat.

XII. Quæritur an Synodus Arelatensis adversus Lucidum fuerit generalis. Probabile est Lugdunensem quoque, qua propter eandem causam habita est, fuisse generalem, adeoque à Leontio convocata fuisse.

L E O N E Romano Pontifice fatis cedente anno quadringentesimo sexagesimo primo, Hilarus in summi sacerdotij apice constitutus est. Eadem omnino tempestate Ravennius Arelatensem sedem vacuam fecerat, & in ejus locum substitutus fuerat Leontius. Hilari itaque Romani Pontificis & Leontij Arelatensis gestis caput istud destinatur, cum post varios tumultus qui Leonem inter & Hilarium exarserant usque ad contumelias & jurgia, cœpisset Arelatensis Ecclesia bene sperare pro integra privilegiorum suorum restitutione, quæ persumdata fuerant aliquatenus per auctoritatem Leonis. Ad Hilaram enim cum sede non transferunt decessoris iræ animique. Contrà, statim atque locatus est in sede Petri, literas de ordinatione sua secundum morem scripsit ad Leontium, & quidem his verbis usus quæ probant illum agnovisse in Leontio auctoritatem primi Galliarum Metropolitanorum. Nam ei committit curam significandi ordinationem suam omnibus per universam Galliam Episcopis. Interim Leontius Pappolum misit ad Hilaram, primum gratulaturus ei, ut puto, tantam dignitatem, deinde conquesturus quod prætermissa consuetudine ad ipsum non scripsisset de sua ordinatione, postremò ut ipsum admoneret custodire patrum canonum regulas, ut una esset in omnibus, id est, ubique, observantia ecclesiasticæ disciplinæ. Addidit autem Leontius, missurum se ad Hilaram personam quæ de omnibus ipsum instrueret. Ista non per superbiam accepit Hilarus, neque ut is qui putaret Leontium excedere limites reverentiæ, sed scripta ad eum dignissima successore pis-

catoris epistola, primum quidem deprecatus est ne sibi imputaret contemptum consuetudinis, non id aliqua culpa sua factum esse, sed nuncij tarditate. defunctum enim se jam pridem officio illo fuisse. Spondit deinde servaturum se canones, & auxiliante gratia Dei provisorum universali concordia sacerdotum Domini. Insigne visum est earum literarum initium referre, ex quo intelligemus Summum hunc Pontificem peculiari amore profectum esse Gallicanas Ecclesias omnesque in eis Domini sacerdotes ante adeptum pontificatum. Sic ergo loquitur ille in veteri codice M S. Bibliotheca Regiæ, melius profectò quàm in vulgatis editionibus, *Dilectioni meæ, qua circa Ecclesias Gallicanas emnesque in eis Domini sacerdotes etiam in inferiori gradu positus abundavi, multum accedit augmenti quod per virum spectabilem Pappolum filium nostrum sermonis tui ad me sum delata principia.*

I I. At non unam de eo argumento epistolam ad Hilaram scripsit Leontius. Nam præter eam cui hoc loco respondet Summus Pontifex, alia quoque Leontij gratulatoria ad ipsum data non ita pridem edita est à clarissimo & optimo viro Domino Luca Dacherio monacho Benedictino. Post maximam verò gratulationem & hortationem ut ea perduceret ad felicem exitum quæ à Leone bene cepta erant adversus hæreticos, demum ista subjungit de confirmatione privilegiorum Ecclesiæ Arelatensis: *Ceterum cum Ecclesia nostra Arelatensis semper ab apostolica sede amplis favoribus & privilegiis fuerit decorata, rogamus sanctitatem tuam ut per eam nihil nobis decedat, sed potius augetur; ut & collaborare tecum in vinea Domini Dei Sabaoth valeamus & invidorum conatus infringere; quos, si non esset auctoritas reprimens, certum est de die in diem grassaturos in pejus; quia malitia qui nes oderunt ascendit semper.* Ex hoc loco discimus ea persuasione imbutum fuisse seculum illud, ut putaret Ecclesiæ dari privilegium quod Episcopo tribuebatur, tamenetsi verba privilegij de solo Episcopo loqui viderentur. Istud jam multis argumentis pro Thessalonicensis Ecclesia probavimus in capite xxii. istius libri. Ad Arelatensem quod attinet, præterquam quod verba Leontij fatis clara sunt, ex Libello etiam precum Symmacho Papæ oblato à Cæsario Arelatensi & ex epistola xi. Symmachi ad ipsum data colligimus privilegia Episcopis Arelatensibus concessa à Romanis Pontificibus, Ecclesiæ data intelligi, ut dicemus infra. Redeamus nunc ad Hilaram.

I I I. Alii ille literis manifestè agnovit in Leontio dignitatem & auctoritatem primi

To. v. 102
pg. 102